

munere uenit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter seruiatur de habundantia pietatis sue que merita supplicum excedit et uota beneseruentibus multo maiora retribuatur quam ualeant promereri, nichilominus tamen desiderantes reddere domino populum acceptabilem fideles christi ad complacendum ei quasi quibusdam illectiuis premijs indulgentijs scilicet et remissionibus inuitamus. ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cum igitur sicut asseritis ad sepulchrum beati Henrici Regis cuius corpus in uestra requiescit ecclesia deuote concurrat populi multitudo, nos cupientes ut eadem ecclesia congruis honoribus frequentetur omnibus uere penitentibus et confessis qui ecclesiam ipsam in festo eiusdem sancti annis singulis uenerabiliter uisitarint de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi Quadraginta dies de iniunctis sibi penitentijs misericorditer relaxamus. Datum. Anagnie X Kal. Nouembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Blybullan bortfallen.

436. 1256 d. 23 Oct. Anagni.

Påfv. ALEXANDER IV:s Bref om 40 dagars aflat för dem, som besöka Upsala Domkyrka.

A. 1. a. 29.

ALEXANDER &c. *lika med föregående N:o 435 till* aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia uestra que in honorem beati Laurencij sicut asseritis est fundata congruis honoribus frequentetur &c. *och vidare till slut.*

Blybullan bortfallen, men röda och gula silkestrådar äro qvar.

437. 1256 d. 23 Oct. Anagni.

Påfv. ALEXANDER IV:s stadfästelse på Upsala Dom-Capitels erhållne Privilegier.

A. 1. a. 30.

ALEXANDER episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filijs . . Preposito et Capitulo ecclesie Vpsalensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur &c. *såsom N:o 293 till* Eapropter dilecti in domino filij uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus ecclesie uestre concessas, nec non et libertates ac exemptiones secularium exactionum a

Regibus et Principibus aliisque christi fidelibus rationabiliter uobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostre confirmationis &c. Datum Anagnie X Kal. Nouembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mybullan i röda och gula silkestrådar medföljer.

438.

1257 d. 7 Mars.

Lateran.

Påfv. ALEXANDER IV:s tillstånd för Årke-Bisk. JACOB ERLANDSSON i Lund att få till andeliga inrättningar gifva någon efter föräldrarne ärfd förmögenhet, hvilken han befarade till någon del vara af dem mindre ärligt förvärfvad.

F. 1: 252. An. 3. Ep. 184.

*Alexander &c. Venerabili Fratri J. Archiepiscopo Lundensi Salutem &c.*

Habens ut asseris conscientiam scrupulosam, quod parentes tui aliqua minus licite acquisiverunt, quibus jure successisti hereditario petisti super hoc tibi a nobis salubriter provideri. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati conferendi talia piis locis si forte, quibus eorum restitutio fieri debeat nequaquam inveniri valeant, Fraternalitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Laterani Nonis Martii, Pontificatus nostri anno Tertio.

439.

1257 i Apr.

Konung WALDEMARS öppna Bref för Risabergs kloster på frihet från alla Kongl. utskylder af deras gods och lägenheter.

A. 3. n. 1: 6.

In nomine Summe & indiuidue trinitatis. Waldemarum dei gracia Rex Sweuorum vniuersis christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem sanctis omnibus repromissam. Quoniam diuina prouidencia in hanc suam gratiam nos uocauit. ut regni temporalis culmine sublimatos multis preferret mortalibus, tenemur & nos uice debita sancte ecclesie ubique in regno nostro ampliare modis omnibus libertatem. Nouerit igitur fidelium uniuersitas quod ad reuerenciam gloriose domine & uirginis marie omnes possessiones Ecclesie eiusdem beate marie de Risebehg attinentes ob sororum deuotionem ibidem existencium ubicunque in regno nostro sunt constitute cum colonis & omnibus pertinenciis suis. Villis. Nemoribus. Agris. piscacionibus suis. & redditibus. ab omni iure regali liberas semper concedimus & exemptas. vt libere sint in usum ecclesie memorate & beneficium sempiternum. Vt igitur super bonis predictae ecclesie data libertas immobilis perseueret ean-